

- vel mercatorum non sciret linguam seu loquelam ipsius mexete
vel mexetarum secum euntis vel euntium,¹⁾ tunc ipse mexeta
asocians dictum mercatorem secum // habere et recipere debeat 47 B
presonetam scientem linguam dicti mercatoris et mexete; et pro
5 suo labore dicti mexete habere debeant duos par. pro qualibet
urna vini quod vendi fecerint, et non plus sacramento et sub
pena sold. centum pro quolibet contrafatiente et vice qualibet
contrafacta; quorum denariorum medietas sit dictorum mexa-
tarum et alia medietas sit comunis Tergesti. ¶ Et scribere seu
10 scribi facere debeant in uno quaterno omnes venditiones vini
quas fecerint tempore eorum offitii et receptiones dictorum
duorum par. pro urna, et a quo vel a quibus receperint, et
de predictis redere rationem comuni de toto eorum lucro, et
quod credatur dictis mexetis et cuilibet eorum de venditionibus
15 et emptionibus vini factis in eorum offitio, si questio esset
inter emptorem et venditorem. ¶ Preterea prohibemus²⁾ quod
nulla persona sit ausa asociare aliquem mercatorem volentem
emere vinum per canipas hominum de Tergesto, nisi fuerit
mexeta vel presoneta dicte mexete, sub pena libr. par. decem
20 pro quolibet contrafatiente et qualibet vice contrafacta; et si
esset hospes vel butigliarius vel aliquis de eorum familia, qui
asociaret aliquem mercatorem per canipas hominum Tergesti
sine licentia mexetarum vel mexete, qui eum vel eos elegerint
occasione lingue vel presenete, cadat ad penam libr. par. vigin-
25 tiquinque pro quolibet contrafatiente et qualibet vice contra-
facta, incontinenti sine remissione persolvendarum, et nichilominus
ad eundum ad confinia ultra Muglam et Duinum per
unum mensem; et acusatores vel acusator supradictarum per-
sonarum contrafatientum de eundo cum // dictis mercatoribus 48 A
30 habere debeant medietatem dictarum condemnationum ex
suis acuis factis, et adhibeatur sibi per dominium plena fides
cum sacramento sibi accepto et probante acusam factam ad
minus cum uno teste. ¶ Salvo quod supradictis non obstantibus
licitum sit cuilibet habenti vinum tam in suis chanipis
35 quam alienis ubicunque habuerit vinum ire cum mercatori-

¹⁾ eunceum. ²⁾ prohibeminus.